

V C  
3157



Q. h.



h. 29, 5.

Vc  
3157

Laudatio Funebriſ

SERENISSIMI, CELSISSIMI-  
QUE PRINCIPIS AC DOMINI

Dn. CHRISTIANI II.  
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ,  
CLIVIÆ, MONTIUM: S. ROM. IM-  
perij Archimarschalli & Electoris: Landgravij  
Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Burggravij Magde-  
burgenſis: Comitis de Marca & Ravens-  
burg: Domini in Ravenſtein, &c.

*Tristiſſimo Imperijſato, 23. Junij, Anno 1611. Dresda  
piè beateq; defuncti,  
conſcripta & habita in templo arcis,  
Cum ab ordinibus Reipub. literaria, in luctu ſummo  
& juſtiſſimo,*

Patri patriæ parentaretur,  
d. 6. Auguſti

LEONHARTO HUTTERO, SS  
Theologiæ Doctore, & Professore Pr. ac  
Collegij Theologici Seniore.  
*Cum Gratia & Privilegio Electorali Sax.*

VVITTEBERGAE

Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.



ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO-  
que Principi ac Domino,  
Dn.

IOHANNI GEORGIO,  
DUCI SAXONIÆ, IULIÆ,  
CLIVIÆ, MONTIVM: S. ROM. IMPE-  
rij Archimarschallo & Electori: Landgra-  
vio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burg-  
gravio Magdeburgensi: Comiti de Mar-  
ca & Ravensburga: Domino in  
Ravenstein, &c.

*Fratris piè defuncto, Exequias Freibergæ,  
die 6. Augusti, paranti: Domi-  
no suo Clementissimo,*



IN

Subjectissimæ *συνπαθείας* testimonium:  
Justissimi luctus mitigationem:  
Efficacissimæ consolationis votum:

*Humilimo studio con-  
secrat Autor*

L. HUTTERUS D.



Σὺν Ἰησῷ.

*Laudatio Funebriſ*

CHRISTIANI II. Ducis &  
Electoris Saxoniae, &c.



**I**nfaustas, iterum at-  
que iterum infaustas vesp̄eras Johan-  
n̄as! ô fatales vesp̄eras, & bis qui-  
dem fatales, imò tandem exitiales,  
Serenissimo Electori, CHRISTIANO II. Duci Saxo-  
niae, Juliae, Cliviae, Montium, &c. Principi nostro  
Optimo & Beatissimo. Novennium est, Auditores,  
cùm iisdem vesp̄eris Johanneis, Serenissima ipsius  
Celsitudo, vix Electoralis Imperij sceptro potita,  
non errore magis quopiam, quàm singulari, sed fato  
minùs auspicato, praesentissimo vitae periculo esset  
exposita. Cùm enim animi fortè gratia, Albis praeter-  
labentis fluvio se committeret:

*Et simulata movens crepitante tonitrua nitro,  
ludat ut in placidis fumidus ignis aquis,  
aliquod curarum levamen ex pyrobolorum ludo*

Anno 1602.

M. Iohan.  
VVanckel.  
P. L.

quæreret: ecce malum! mox infernalis Mulciber, nitro accenso tormentario, cujus copia fortè haud exigua in promptu erat, navim inflammavit, in rimas egit, tabulas disjecit, ut hinc flammaram sævities, illinc undarum irruptio, nil nisi exitium minitaretur. Verùm *ἀπὸ μηχανῆς ὁ θεὸς* vix unius aut alterius immisso auxilio, Principem optimum ex præsentissimo mortis periculo, mirandum planè in modum, tum eripuit. Cujus memorabilis liberationis, non sine gratissimâ divini numinis veneratione, hac ipsâ die, & quidem sub primum panegyris hujus auspici-um, nos recordari, pium omninò æquumque esse, statui.

Sed eheu! vix possum ultrâ progredi Auditores. Stupet animus, mens horret, manus tremunt, & spiritus in ipso quasi faucium meatu intercluditur. Ubi jam mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens ille fluvi- us Demosthenis? Nunc profectò muti es- seris ambo, & vestra lingua torpesceret. Inventâ est materia, ad quam omnis verborum copia & elegantia exhorrescit. Sed dicendum tamen: Eheu inquam! Eheu vespas Johanneas. Redierunt illæ, & vix uno expleto climactère enneatico, denuo redierunt fatales: sed longè infeliciores tristioresque. Quam enim

illæ

illæ prius inclyto Electori nostro, mortem inten-  
taverant, eam nunc penitus intulerunt: cùm pau-  
cis admodum horis ex subitanæa fortiq; nervo-  
rum resolutione, quam Apoplexiam nominare  
consueverunt Medici, tanquam urente quodam  
vento (ut cum B. Hieronymo loquar) emarcesce-  
ret lilium in terra nostra, et purpura violæ in pallo-  
rem deficeret. ô fatum triste & acerbum! ô omi-  
nosum fatum! ô certissimum impendentium ma-  
lorum præfagium! Cecidit profectò, cecidit Sacri  
Romani imperij columna, cecidit Ecclesiæ ful-  
crum, Reipub. asylum, pacis ornamentum, justi-  
tiæ assertor, Academiarum pater & mecœnas, o-  
mnium ordinum patronus, scelerum vindex, op-  
pressorum portus & perfugium, bonorum defen-  
sor: & ut uno verbo complectar omnia, cecidit  
Pater patriæ optimus, desideratissimus: & ut Pro-  
pheta loquitur, cecidit, cecidit corona capitis no-  
stri: Væ nobis, quia peccavimus. Minatur cer-  
tè DEUS per lamentabilem hunc casum, ali-  
quid calamitatum ingruentium, quod quale quale  
sit, utinam, metuamus saltem, non etiam expe-  
riamur. Nam ut historicorum quidam rectè  
pronunciavit, *μάλιστα πάντων ἐπὶ πλάσμασι μεγάλοις*  
*Φιλεῖ πρὸς αἰρεῖσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων* Solenne Deo

illæ

A 3

est,

est, principes è medio priùs tollere, quàm graves rui-  
næ ingruant: Et secundum Solonem, δημόσιον κακὸν  
ἔρχεται οἱ καθ' ἑκάστῳ:

*Intrant in thalamos publica damna tuos.*

Nemini proinde mirum aut insolens videri debet, si  
omnia in luctum & lachrymas resolvantur, si con-  
tristentur Proceres, si lugeant senes, si tota in mœ-  
rore versetur aula, si gemitu & suspirijs repleatur Ec-  
clesia, si in squalore jaceant scholæ, si Patrem patriæ  
provincia tota deploret, si ipsi denique templorum  
Scholarumque parietes atque subsellia, quæ aliàs  
aulæis & peristromatis insolescere quasi ac superbire  
solent, nunc nudata & spoliata omnibus ornamen-  
tis pullis induta vestibus, amissum Principem, Patrē,  
Custodem & Conservatorem suum lugeant. Et pro-  
fectò non hominem, sed truncum aut bestiam judi-  
cavero, cui Hircanæ admôrint ubera tigres, quem  
publica hæc tam miserabilis luctus acerbitas, ad so-  
cietatem doloris non impelleret. Quod si enim tuo-  
rum æqualium mortem dolere consuevisti, quorum  
obitum vel privatis duntaxat rebus tuis exitium aut  
detrimentum aliquod, vel tibi, tuisque familiaribus,  
solitudinem tantùm aliquam afferre scias: impium,  
certè atq; nefarium, imò inauditi cujusdam stupo-  
ris fuerit, ab eius discessu, vel nihil vel parum capere

dolo



doloris, quo cum ipsa Religionis libertas, Ecclesiæ tranquillitas, Reipublicæ salus, civium omnium incolumitas, miserabili funere hodiè efferri, & tumulo quodam obrui videtur. Quare ut lugeatis, ut lamentemini Auditores, non prohibeo: quin ut sedulo id faciatis, etiam atque etiam hortor. Et quia de Jerusalem dictum est, *PLORANS PLORAVIT*: utique plorat & nostra Hierosolyma, Sion hæc nostra; quoniam qui eam splendidiorum fide sua & virtute fecit, occubuit.

Thren. 1, 2

Quæ lachrymæ nostræ ne prorsus in occulto lateant, ego publici Academiae nostræ luctus præco & interpretes constitutus sum hodiè, qui in tristissima hac panegyri, Electorem beatissimum novis threnis, novaque lamentatione prosequerem. Hic quid à me impositi muneris provincia, quid vestra expectatio, quid ipsius Principis meritissimi laudes postulent, equidem probè intelligo. Nimirum in consolando partim, partim in exornandis beatissimè defuncti laudibus, meâ versari debet oratio. Sed quàm nihil in utroque valeam, ipse mihi optimè sum conscius. Quid enim consolationis vobis imperiar, qui ipse sum consolandus? qui dignis laudibus eas prosequar virtutes, quibus percensendis saltè, nedum amplificandis, vix integra Home-

ri Illias fortè sufficiat. Quare si meo saltem arbitrato res ageretur, silentio magis unà vobiscum, altum corde dolorem premerem, quàm has parentandi partes in me reciperem. Verùm cum rursus haud sim nescius, nihil vel ad contestandum, dolorem meum accommodatius, vel ad declarandam humilimam grati animi subjectionem erga Illustrissimam domum Electoralem Saxoniam, commodius hoc quidem tempore obtingere mihi posse, quàm si gravissimo Senatus Academici decreto me submittam, & parentatione publica ac solenni, Mecœnatis optimi, Patris patriæ, Herois illustrissimi obitum prosequar: agedum ad necessitatis præsentis obsequium me attempero, & ex operis ipsius difficultate animum quasi recipio. Quanquam idem mihi in primo statim limine evenire video, quod in aquis tranquillioribus accidere cernimus, ut cum injectus calculus centrum effecerit, alius atque alius subinde circulus excitetur; statimq; in superficiem agitatus, extremum circulum semper dissolvat: Sic mihi verba ad vos facturo, aliud in mentem venit, aliud supervenit, aliud dilabitur, atque in electione plurimum mihi oboritur molestiæ, dum quæ prius arripui, alijs postea in mentem influentibus mox se subducunt. Veniam proinde dabitur, Rector Magni-

fice,

fice, Patres Academici, Viri Omnium Ordinum, splendidissimi, Consules & Senatores prudentissimi, spectatissimi, tuque nobilissimi, aliteratissimaque Studiosorum corona, Veniam inquam, dabitur, si pro oratione splendida, miserabilem lessum vobis exhibuero, si sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria inornate tracta vero. Caterum ut attentè me benevoleque audiatis, non magnoperè rogo, cum vel sola Principis defuncti pietas, & singularia in nos vniversos promerita, ad auscultandum vos excitare & accendere debeant. Fac tu verò DEUS optime maxime, ut tua virtute suffultus, ea in medium proferam, quæ beatissimis tanti Principis manibus, aliquâ saltem ex parte dignè respondeant.

**I**am verò primùm omnium silentio prætereo ea ornamenta, quæ generis familiarumque splendore, majorum rebus gestis, parentum laudibus constant. Nihil dico de Illustrissima Witikindæ stirpis propagine & gente illaheroum Saxonica: nihil de natalibus Principis nostri, qui incidunt in IX. KL. Octobris, Anno Christi 1583: nihil de dignitate Electorali, ad quam Anno 1601. felicibus planè auspiciis aspiravit: nihil de *AUGUSTO* Electore avo, primo

B

illo

illo post Deum religiosæ concordiaë duce atq; au-  
 tore: nihil de magnanimo Heroë, *CHRISTIANO I.*  
 Patre, cujus animus excelsus, & ad maxima quæque  
 natus, jam pridem orbem universum percrebuit:  
 nihil de Serenissima principe, *SOPHIA*, Duce Bran-  
 deburgica, matre, purioris Religionis Lutheranaë  
 constantissimâ assertrice, imò vindicatrice: nihil  
 de conjugè regia, Serenissima principe, *HEDVIGE*,  
 generosissimâ illâ Regum Daniaë propagine: nihil  
 denique de nuptijs regijs, mense septemb. Anni  
 1602. splendidissimè celebratis. Hic enim orationis  
 vela si pandere, & quasi aperto in vectus mari, per  
 istorum Principum laudes, resq; fortiter ac lauda-  
 biliter gestas decurrere velim, vereor ne cum di-  
 cendi principium facilimè reperero, exitum reperi-  
 re non possim. Quæ enim obsecro nominari potest  
 ullo in genere virtus, quæ non in istis ita emineat, ut  
 quamcunque eligas, eâ vel maximè præstare vide-  
 antur? Quemadmodum verò magna solet esse vis  
 originis ac sanguinis, quosq; populi sui principes  
 ac Rectores destinavit præpotens ille rerum omni-  
 um moderator *DEVS*: in illis plerumque virtus  
 non expectat annos: sapientiæque femina, in eo-  
 rum animis & compræhendunt faciliùs, & tem-  
 pestiviùs adolefcunt: Sic inclytus Elector noster

CHRISTIANUS, indole ac ingenio generosissimo præditus, ea juvenis adhuc virtutum edidit specimina, quæ Electoralis dignitatis fastigio ipsum reddebant dignissimum. Mores jam tum severitatem quandam & gravitatem spirabant, sed quæ humanitatis condimento esset temperata: ut bonus quisque, qualis aliquando hic Princeps futurus esset, talem facile auguraretur fore: pius, justus, prudentem, pacis & concordia studiosum, apertum, veracem, clementem. Porro quæ Religionis purioris fundamenta prima, quæ Reipub. feliciter administrandæ scientiam attinere videbantur, avidè & nullo negotio addiscebat: neque generosam ac illustrem animam, inanibus studiis occupari volebat, athletarum in morem, qui dum aërem sapiunt, quàm corpora feriunt, præmiorum spe frustrantur. Sed & ludis ac certaminibus equestribus, tantoque Principe dignissimis, vel maxime delectabatur: quo in genere etiam ipsum & arte & robore virium ita excelluisse accepimus, ut qui cum ipso Martis aleam periclitari vellent, pauci essent, qui palmam eriperet, nemo facile inveniretur. Venationibus, aucupijs, piscationibus, jaculatoriæ, frequenter admodum indulge-



bat: Sed ita, ut non tam evanidas mundi hujus voluptates appeteret: quàm ingenij corporisque exercitia laudabiliter quæreret.

Verùm hæc fortè communia Princeps noster habuit cum multis alijs: ad majora ergo, quæque tanquam singularia ipse sibi vendicat, mea properat Oratio. Multa fanè sunt virtutum ac officiorum genera, quæ à Bono Principe atque gubernatore, tam sacræ, quàm civiles leges exigunt. Requiritur *PIETAS*, quam nihil evertere: *PRUDENTIA*, quam nihil fallere: *JUSTITIA*, quam nihil inflectere: *FIDES & CONSTANTIA*, quam nulla temporum asperitas imminuere aut labefactare queat. Jam si quisquam alius, Princeps certè noster, virtutum istarum elogia sibi jure vendicat singula & vniversa.

Nolo autem à primo statim limine calumniam aliquis mihi faciat, vel eas objectet errorum vitiorumque infirmitates, cum quibus Principem nostrum conflictatum esse, ipse negare non possum. Quis enim inter imperfectos, quales sumus, mortales quotquot sumus omnes, perfectum & ab errorum nævis planè liberum mihi dabit? Vitia virtutibus vicina esse consueverunt: & quanquam secundum Philosophos, *μισθότης ἢ ἀρετῆ, κακία ὄπισθεν ἢ πέλεται*: nihil tamen facilius, quàm ut à medio ad ex-

tremo-

tremorum aliquod declines. Verum sicut nemo sapiens Leonem ideò accusandum existimat, quòd oculorum obtutum Simiæ parem non habeat: sed torvum quiddam, & horrificum ac regium intuetur: cujus ipsæ quoque saltationes fortes & generosæ sunt, & cum admiratione jucundæ: Et quem admodum Nilum quoque Crocodilus habet: ita illustres animæ, si quid concomitantis vitij aut erroris sustineant, apud prudentes quosvis rerum æstimatores, veniam facile merentur.

Et quis obsecro ita ab omni pietate alienus, ita vecors & rationis omnis sit expers, qui Moysen ideò, quòd Ægyptium interfecit, quòd de DEI potentia, timidiusculè petram percutiens, dubitavit: qui Aaronem ob *μοροπύαν*; qui Gideonem, ob Idololatriciam; qui Jephthahum ob voti illiciti nuncupationem: qui Samsonem, ob meretriciam cum Dalila consuetudinem: qui Davidem virum illum secundum cor ac voluntatem DEI ob adulterium & homicidium: qui Salomonem, ob idolorum cultum: qui Asam ob foedus impium cum rege Syriæ percussum: qui Josaphatum, ob bellum minus necessarium Syris illatum: qui Josiam temerè ac infeliciter contra regem Ægypti præliantem: qui Reges ac Principes reliquos, pios ac magnanimos, quos sa-

Exod. 1, 11.

Nū. 20, 10.

Exod. 32, 4.

Judic. 8, 27.

Judic. 11, 31.

Judic. 16, 4.

2. Sam. 11,

4. &amp; 17,

1. Reg. 11, 4.

1. Reg. 15,

19.

2. Paral. 18,

28

2. Paral.

21

cra pagina commemorat, ob graves singulorum lapsus ac defectus, nativis virtutum laudibus ac præconijs spoliare ausit?

Augustus ille Romanorum Imperatorum primus militi euidam noctuam apprehendenti, quæ nocte somnum Cæsaris interruperat, illico mille nummum dari iussit. Idem ex prælio quodam victor revertens, corvum, qui ipsum his verbis reducem salutaverat: Ave Cæsar victor; sex millibus nummum emit. Quis verò ob nimiam istam opum profusionem, reliquas Imperatoris res, pro salute patriæ, domi forisq; fortiter & laudabiliter gestas, atro carbone notandas & unâ quasi liturâ expungendas esse statuatur? Atque utinam ea semper vitæ aulicæ esset sanctitas, ea religio, ea disciplina, ut vel laudatissimus quisque princeps non interdum Scenæ inservire, ad aulicorum mores aliquatenus se componere: & ijs sæpius vacare rebus necesse habeat, à quibus aliàs plurimum abhorret. Sed sicut Leo (ut cum Erasmo loquar) animal quidem est cautum, cunctisque formidabile: at cristam galli formidat: Ita summi Principes suorum convitia haud rarò timere coguntur. Non desunt aulis magistri luxuriæ: non desunt, ut Scriptura loquitur, potentes ad bibendum vinum & heroës ad miscendam ebrietatem. Istorum moribus, si frena non

tantum



tantum laxet Princeps: Sed iisdem etiam participet: peccat utique, & peccat graviter: Sed iniquitas hæc in illorum tandem verticem descendet, qui autores & magistri, imò faces quasi ac tubæ istorum excessuum extiterunt.

Tu verò quisquis es, cuiatis es, qui beatissimi Principis nostri vitam, studia, mores, Theonino dente allatrare ac arrodere non exhorrescis, siste paulisper gradum; & calumniandi libidini eò usque modum statue, dum ea virtutum meritorumque præconia, paulò altius expendaris, quæ in sanctissima ipsius anima sedem ac domicilium proprium fixisse, nemo ignorare potest, nisi qui huius, in quo vivimus, seculi nescius est, imò qui Solem, quasi in mundo non agnoscit.

Et ut à pietate, puriorisque Religionis studio capiamus primordia, cum primùm divino auspicio ad Electoralem dignitatem evectus Princeps noster, gubernationis auspiciatæ vix unum aut alterum edidisset exemplum, dici non potest, quanta statim orthodoxorum alacritas & exultatio: quanta hæreticorum quorumvis trepidatio extiterit: ut neque illi quicquam sibi optatius potuisse contingere, neque hi quicquam sibi spei amplius

superesse

Pietas Ele  
floris.

*Psalm. 139,*  
*21. & 22.*

superesse arbitrarentur. Vidisses tūm Orthodoxos fortes, erectos, constantes: Schismaticos humi repentes, tristes, abjectos: illos, de veritate triumphantes; hos omnis consilij inopes & expertes: illos, de tanto Principe sibi gratulantes, & pro ejus salute vota facientes: hos post carecta anxie, & in infidijs latitantes: illos in coelum quasi sublato; hos infra terram amandatos: & ita amandatos, ut citius Turcam aut Mahometistā, quā Calvinianæ sectæ asseclam, hisce in provincijs invenisses. Quam ad rem non multis edictis, non proscriptionibus, non legibus humano sanguine scriptis opus erat: sed quemadmodum Sol exoriens nebulas dissipat: sicut ventus aream purgat: ita Principis nostri pietas, Religio, zelus, dissipavit hæreticos: ut verè cum Davide dicere potuerit: Nonne, qui oderant te **DOMINE**, oderam & ego, & super inimicos tuos contabesceram: perfecto odio oderam illos. Et cui quæso ignotum esse, vel cuinam notius esse queat, quā vobis, Patres Amplissimi, Principem nostrū, tanto studio asserendæ veritatis Evangelicæ arsisse, ut nullam sibi difficultatem pertimescendam, nullum periculum detrectandum, nullas inimicitias refugiendas esse, modò hæc rectè haberet, piè ac religiosè statueret. Hinc mox sub primum Electoralis Imperij auspiciū, hæreticorum quorumvis,

subsequi

singu-

singulariter verò Calvinianorū blasphemijs ad or-  
 cūusque relegatis, singulos & universos, quotquot  
 quidem inclyto Electoratu Saxonico, & adhæren-  
 tibus Provincijs, sive in templis, sive in scholis, sive  
 in curiâ publicam navarent operam, ad illius fidei  
 professionem nō coactam, sed liberam, non simu-  
 latam sed apertam, non menstruam, sed constan-  
 tem, solenni juramēto adstringi voluit: quæ ex fon-  
 tibus Israëlis hausta, Augustanæ Confessionis,  
 primæ illius minimeq; variatæ Symbolo compræ-  
 hensa, in aureolo denique illo Christianæ Concor-  
 diæ, adversus quorumvis Sophisticationes, invictè  
 asserta & confirmata est. Hinc sumptu magno,  
 curâ ingenti, fide singulari geminam quasi lustrati-  
 onem, (vulgò visitationem appellitant) per ido-  
 neos censores fieri voluit in eos, qui Ecclesijs, Con-  
 sistorijs, Academijs & Scholis istarum regionum pu-  
 blicè præfunt: ut de pio in veritate consensu liquidò  
 constaret: dissentientes verò, vel institutione man-  
 suetà, si dociles se præbeant, vel si præfracti & con-  
 tumaces esse pergant, animadversione debita  
 corrigerentur: & sic totum Religionis corpus benè  
 haberet, neque uspiam damni aliquid perciperet.  
 ô altam generosamq; & verè *CHRISTIANAM* men-  
 tem, *CHRISTIANO* principe dignissimam, quæ  
 tam salutaribus consilijs, tamq; paternâ Ecclesiæ

C

curâ

curâ, se occupari patitur. Neque enim vulgares, at-  
 que in perpetuo voluptatum volutabro demersos  
 animos incessit hæc cura, hæc fides, hæc æmulatio  
 purgandæ, conservandæ, propagandæ Religionis.  
 Nihil jam dico de incredibile audiendi verbi divini  
 studio & sagacitate, quâ majorum devotionem æ-  
 mulatus, plærumque stans, non superficialiter, sed  
 tâta attentione verbi præcones audivit, ut oculis in  
 ipsos per horam integram unicè defixis, singula pe-  
 nè verba, singulas certè illustriores sententias ac  
 doctrinas generoso pectore altè infingeret. Refert  
 Johannes Costerius in vita B. Ambrosij, Valentini-  
 anum Augustum, tanto amore profecutum esse  
 Ambrosium, etiam vitia ipsius liberius taxantem,  
 ut ne quidem acerrimis repræhensionibus, ad iram  
 graviolemq; indignationem se commoveri patere-  
 tur. Eâdem singulari animi moderatione Princeps  
 noster, sui etiam Ambrosij in corrigendò *παρρησίαν*  
 magno lenitatis spiritu semper approbavit, ita ut  
 multoties in hæc verba ipsum erupisse, auditione  
 acceperimus: Maçte vir Dei, maçte pietate, age  
 quod tui est muneris, cura ut res Christiana consi-  
 stat incolumis, ut disciplina perseveret incorrupta:  
 doce, quæ amare, doce, quæ fugere debeamus:  
 Habes animas nostras tuæ fidei concreditas: his  
 consule,

confule, his Christianæ medicinæ appone præsidia,  
prout & meus, & meorum subditorum morbus at-  
quæ agritudo exposcit.

Fuit pietas hæc ac devotio Principis nostri, su-  
des præusta in oculis & animis hostium veritatis,  
eorum cum primis, qui inani spe incrustandi Calvi-  
nismi se falsos deceptosq; intelligebant. Hinc fu-  
rere, insanire, & nihil non tentare, quo crudelis  
animi libidinem, ex parte saltem aliqua explere pos-  
sent. Sed Deus ille, per quem reges regnant, &  
Principes imperant, ita Electorem nostrum susce-  
pit protegendum, ita angelico præsidio defendit, ut  
aliquoties haud vulgaribus periculis atque insidijs  
expositus, tutus tamen ac salvus evaserit. Memini-  
stis ipsi Auditores, deprehensos fuisse latrunculos &  
sicarios, mercede in hoc conductus, ut Electorem  
vel peregrinantem, vel paulò liberius, & quasi sine  
satellitio sylvas pellustrantem, aut feras insectan-  
tem, globo tormentario ex insidijs traijcerent.  
Quas tamen insidias Deus irritas, & ipsis plærumque  
autoribus exitiosas esse voluit. Sic nimirum in no-  
stro quoque Electore verè impletum id, quod ali-  
quando ad Davidem prudens illa Abigail: Si surre-  
xerit homo persequens te, & quærens animam  
tuam, erit anima Domini mei quasi in

Prov. 8, 15.

1. Sam. 25.

29.

fasciculo viventium apud *DOMINUM DEUM* tuum; inimicorum verò tuorum animam, ceu fundæ jactu à se *DOMINUS* projiciet.

Pietati huic minimè fucatae comitem individuum se præbuit, vera animi Humilitas ac Mansuetudo, non illa exotica, quam nonnulli cervicis depressione, vel gestibus alijs fingunt ac mentiuntur: sed quæ verè Germanum illum avitumq; candorem, & simplicitatem apertè spiraret. Fucati aut simulati in Principe nostro nihil, nihil ascititium: sed nativa omnia, ita ut quod de M. Antonino Imp. Dion etiam commendat, animum in fronte gestaverit, & quibus se amicum diceret, semper fuerit amicissimus, plerumque plus opere præstans, quàm verbis cuiquam fuerat pollicitus, quasi suis moribus semper fuisset relictus, fortè nullum severitatis exemplum ab ipso unquam fuisset editum. Hinc nemo non subditorum, Principis sui mentionem facturum, à virtutis potissimum istius encomio ipsum indigitare consuevit: *ô candidum Pectus, Das fromme Herz.*

Quod tamen non eò velim rapiat aliquis, quasi quo major Principis nostri fuit lenitas & mansuetudo, eò magis impunè grassata sit improbitas, scelerumq; licentia. Ita sanè humanitùs comparatum

est

*Candor  
Germanus  
Electoris.*

est, ut Principum clementiâ facilè ad licentiam, abutatur petulans multorum nequitia: Ita etiam naturâ quasi Clementia & Severitas sibi mutuò adversari videntur, ut illa mansuetudinem sanè, sed cum inertia quadam conjunctam habere: hæc verò rebus quidem agendis, & justitiæ exercendæ apta esse, sed humanitate carere statuatur. Verùm ab utriusque criminis labe Princeps noster adeò fuit alienus, ut singularis alicujus virtutis laudem, eamq; cum paucis admodum principibus communem, sibi meritò vindicare possit. Nativa sanè ipsi erat lenitas & mansuetudo: sed quod miraculi fermè loco quis habere possit, singulari quopiam Prudentiæ temperamento ita condita & quasi permixta: ut neque mansuetudo, severitatem planè omnem tolleret: neque amor justitiæ, ac scelerum odium, lenitatis moderamine careret. Sic ergò serpentinam prudentiam, cum columbæ simplicitate, egregiè temperare didicit Princeps noster: ut neque prudentia in calliditatem, neque clementia in stoliditatem, vel oscitantiam quandam degeneraret: Sed ex ambabus, una virtutis species emergeret, planè heroica, singularis, & omnibus numeris absolutissima. Non igitur Centaurorum vitam egit Princeps noster, qui quævis admissa peccata

*Prudentiæ  
singularis.*

vasto hiatu devoraret, & amplissimo conscientiae  
 rictu quaelibet flagitia deglutiret: sed justo adhibito  
 moderamine, simul fuit & αἰαδὸς & δραστήριος: id quod  
 de Lacedaemonijs maximè praedicat Thucydides.  
 Etsi enim citius ros matutinus, Solem fervente  
 Syrio meridianos diffundentem radios sustinuisset,  
 quàm ut Princeps noster ullius saevitiae vel crudeli-  
 tatis signum statueret: prudentia tamen eos justitiae  
 exercendae stimulos ipsi adjecit, ut improbis &  
 flagitiosa vix quisquam magis esset infestus, vel in sce-  
 leribus ἀπερσώπολήπτως coërcendis acer atque stre-  
 nuus magis: ut haud immeritò dubitare possis, plus-  
 nè mansuetudinem virtutis Zelus acuerit, an justitiam  
 moderatio occupaverit.

Cura pro  
 salute Im-  
 perij.

Jam quid de singulari in dicendis sententijs gravi-  
 tate, quid de cura ac sollicitudine pro subditis: quid  
 dico subditis? Imò pro universo Romano Imperio?  
 quid de meritis ipsius in Patriam nostram dilectissi-  
 mam, Germaniam dico, commemorem? Citiùs  
 me dies, quàm oratio deficeret, si in singula inqui-  
 rere, & percensere saltem ea numerando, nedum di-  
 cendo exornare vellem. Te appello RODOLPHE, Im-  
 perator invictissime, qui, quanta fide, prudentia, sol-  
 licitudine, Princeps noster, salutem publicam pro-  
 motam: Imperij majestatem assertam, molitiones  
 turbulentas everfas, bella civilia atque intestina re-

pressa



pressa voluerit, ipse audivisti, cognovisti. Te appello  
 Tempus illud, consiliorum omnium conscium at-  
 que particeps. Vos appello, qui Principi à latere assi-  
 stistis consiliarij fidelissimi, qui actionum istarum  
 omnium spectatores fuistis, qui denique animi ma-  
 gnitudinem, sententiarum gravitatem, orationis e-  
 legantiam, judicij dexteritatem, non semel cum stu-  
 pore quasi quodam in Principe nostro intuiti & ad-  
 mirati estis. Quid verò tu Dathani Abiramiq; so-  
 boles ronchos ducis? quid blateras? Numquid Ro-  
 mano Pontifici palpum faciebat Princeps? num ad  
 Synagogā Pontificiam secessionem meditabatur?  
 num Cæsaris partes inconsideratius (ne quid dicam  
 gravius) fovebat, defendebat? num seditiosa, prodi-  
 toria, cruenta Jesuvitarum & horum *περὸν ἀχρ* Ra-  
 mei illius, nescio cujus manipuli Ducis consilia,  
 machinas, irruptiones, cædes, rapinas, ullo pacto ap-  
 probabat? proh Deum atque hominū fidē! Hoc ci-  
 ne humanum dictum, factum, aut cogitatum? Fu-  
 ror est: infania est: crimen læsæ majestatis humanæ  
 ac divinæ est, si tale quid in mentem saltem cuiquam  
 veniat. Quid enim? Anne, qui Imperatori, quisquis  
 etiam in Religione ille sit, fidei obsequia, officiorum stu-  
 dia, consiliorum auxilia præstat, ideò perfidiæ, apostata-  
 læ & clanculariæ cum Romanensibus conspirationis ar-  
 gui, insimulariq; vel potest, vel debet? Corruptissimi certè  
 judicij, imò projectissimi pudoris, ac extremæ levitatis

fuecit

fuerit, ejusmodi criminibus confectis, Principis, & Principis Germani, & Principis Electoris, & Principis nomine ac re *CHRISTIANI*, autoritatem, fidem, candorem, tam improbè convellere ac conspirare. In neminem invehor, Auditores, ne dum quenquam nostratum perstringo: (nam Jesuvitas ipsos, horumq; asseclas, primos rumoris, mendacij veriùs hujus autores esse arbitror) cum primis verò ordinibus Imperij, suorum consiliorum rationes vti æquissimas, ita saluberrimas constare, omnino judico. Sed finge tu saltem, quisquis es, optimo Electori nostro, proximis hisce annis talem, qualis fingitur, animo stetisse sententiam, Pontificiorum & religioni, & consilij æquiorem, (cujus contrarium verissimum esse, Deus ipse novit) quas quæso turbas, quos tumultus, quas rerum omnium conversiones, in Imperio jam modò experti essemus? Esto, primarius aliquis Jesuvitica factionis Dux & propugnator, tanquam alter Lysander, optimi Principis nostri animum callidè circumvenerit, fraternitatis dextras astutè extorserit, secretiora penetrârît, & ut uno verbo, quod res est, dicam, candidissimum pectus improbè deceperit: annè Principem ipsum ideò nescio cujus cum cohorte Pontificia conjurationis insimulandum esse, arbitraberis? Haud ita: quin tu mihi

potius

potius nativam Germani candoris faciem in Principe nostro contemplare, admirare, prædicare: qui sanctionis Pragmaticæ, quam vulgo pacificationem Passaviensem appellitant, foedere ac legibus stans intrepidè ac inviolatè, de ijs quoque fidem ac candorem sibi sanctè est pollicitus, quos diversæ Religioni addictos esse, minimè ignoravit: Detestare verò eos, & à iis devove, qui *ἀνυμνιάζων* & ut Plautus, habet, sic iisitare, hoc est, bonos decipere honori sibi ducant. Circumventus hoc pacto fuit à Gibeonitis, fortissimus populi Israëlitici Dux Josua, & ita circumventus, ut contra edictum Jehovæ foedus cum illis iniret: Sed quis ita stupidus, qui ad Gentilitiam Idolomaniam Josuam inclinasse, arguere velit? Circumventus pijsissimus Rex Ezechias, literis partim, partim muneribus, partim legatis Berodach i Baladani, Regis Babyloniorum, ut pretiosissima secretissimaq; templi vasa ipsis ostenderet: Sed quis ideo Ezechia pietatem, fidem, constantiam in dubium vocare ausit?

Sed satis de istis: Ad heroicam animi fortitudinem, quâ Princeps noster vix ulli cedebat alij, mea se convertit Oratio. Nulla quidem bella ipse gessit: sed (quod ejusdem fortitudinis est) multa intestina sapientissimè restinxit: non armatus qui-

Fortitudo  
heroica Ele  
ctoris.

D

dem

dem in campo atque acie versatus est: sed solo prudentiæ ac consilij clypeo munitus, objecit setelis ac furori eorum, qui nihil magis, quàm bellum civile spirabant: non quidem ferro, vitam & spiritum hostibus eripuit: sed incredibili animi robore & magnitudine, ipsorum technas & consilia sanguinaria fregit, repressit, elisit. Animus ipsi ad pacem & concordiam naturâ proclivis erat: nec ipse solùm quæ spectabant ad pacem Israël, quærebat unicè: sed ut aliorum etiam animos, odio præpostero occupatos efferatosq; ad mansuetudinem benevolentiamq; mutuam permoveret, nihil studio, nihil consilio, nihil operæ fecit reliqui. Notum est opinor omnibus, quantum de constituenda firmiore inter Imperatorem & Regem Hungariæ *MATTHIAM II.* concordiam ac fraternitate, aliquoties & laboraverit solus, & cum alijs etiam præstitit. Ad tuendam: & sicubi læsa fuit, restaurandam, tum ipsius imperatoris majestatem, tum amplissimi in Imperio Romano Septemviralis ordinis concordiam, quanta fide ac cura Elector noster inclytus incubuerit, si ignoramus, fortè tum demum agnoscemus, quãdo quæ in nostra potestate habuimus bona, amisimus.

Anno 1609.

Nondū biennium abiit, ex quo inauspicata planè discordiarum tela, & prorsus fatale quoddã po-

mun

mū *ἔσδος*, ex obitu Principis JOHANNIS WILHELM I, Ducis Juliae, Cliviae, Montium & c. in ipsum quasi meditullium S. Romani Imperij fuit projectum. Nec mora, primaria mox Imperij Romani lumina & columina, in discrepantes abibant sententias: ita ut distractis Principum Germaniae animis, voluntatibus, studijs, partim ab Imperatore ipso alienatis, partim inter se minimè cohærentibus, plena essent omnia motibus: neque quicquam expectandum videretur aliud, quàm ut dissensio hæc in apertum & luctuosum bellum erumperet, horrendam vastitatē in Imperio pareret, & cum primis foedus illud gentilitium, ante annos centum ampliùs, inter Saxoniam, Brandenburgicam, & Hassiacam familiam, felicibus planè auspicijs initū rimas ageret, imò totum fatisceret, & Cadmææ pugnae prælia inter fratres miscerentur. Ardebat ergo jam Germania motibus varijs: res ad interitum patriæ spectabat: impia Esavi posteritas de intestino Electorum ac Principum dissidio sibi gratulabatur: de Lutheranorum præsentissimo excidio tripudiabat: exercitus Ramei, proditione, perfidia, rebellionem illustris, latebat in insidijs: jam ut uno verbo dicam omnia, salus patriæ, imò totius Imperij *ἡ ἕξις ἀκμῆς* in acie novaculae posita videbatur.

Animadvertite verò per Deum immortalem, Auditores, Sanctissimi nostri Principis, in componendo hoc dissidio diligentiam: Audite sapientiam: cognoscite magnitudinem animi atque constantiam. Ille ergo omnia prius consilio, quam armis sapienti experiunda statuens, partim ad restinguendam gliscentis incendij vim, acerrimè incubebat ipse: partim negotium hoc diligentissimè mandabat arbitris, quos ad id conficiendum, & auctoritate & consilio plurimùm valere arbitrabatur. Cognoscebantur causa dissidij, ponderabantur utrinque, & (ò insperatum ac propitium fatum) componebatur res ex æquo ac bono: eo Pacificationis foedere sancito confirmatoq; quod bonis omnibus gaudio & solatio: hostibus quibusvis terrore & exitio esse queat maximo. Sic ergo singulari præpotentis Dei miseratione factum, ut qui prius vel erroris cujusdam opinione decepti, vel male-feriatorum quorundam hominum flabellis incitati, fatali odio dissidebant, jam in concordiam & amplexus mutuos, in oscula fraterna ruerent, & in unam quasi animam coalescerent. ò lætum diem, ò auspdatum diem, & toti Imperio salutarem. Hi, hi sunt, Auditores, prudentiæ & moderationis animi fructus: hæc utilitas mæfuetudinis & bonita-

tis: hæc denique magni excelsiq; animi vis ad Pa-  
 triæ statum, factum rectumq; conservandum.  
 Quid cum hoc opere Thebas septē portas haben-  
 tes? quid Ægyptias illas cōparem? quid muros Ba-  
 bylonicos, & Mausoli in Caria sepulchrum? quid  
 Pyramides? quid Colossi æs immensum? quid delu-  
 bra, mira magnitudine, arte eleganti, impensis  
 maximis constructa? Ea jam everfa, diruta, pro-  
 strata, & præter inanem quandam, ac exiguam glo-  
 riam, immortalitatis nihil præ se ferunt. Hoc, hoc  
 decus stat perenne, & neque hujus, neque futuri se-  
 culi terminis finiendum. Cantate *DOMINO* canti-  
 cum novum, quoniam mirabilia fecit in terra: Flu-  
 ctibus jactabamur, oppugnabamur, calamitates  
 partim jam nos premebant, partim acerbiores im-  
 minebant. At quis hanc tempestatem in auram se-  
 datam commutavit? quis arma, gladios, scuta con-  
 fregit? quis nos belli metu fractos consternatosq;  
 suscepit? Nonne tu Deus, qui hæc perfecisti, Do-  
 minus fortis ac potens, Dominus potens in bello.

Sicut fortassis Centauri, & grassatores Cyclo-  
 pici, quibus hæc parva & contemnenda videntur,  
 qui nimirū Martis sanguine prognati, nihil ma-  
 gnum, nihil illustre, nihil memorabile putant, quod  
 non tumultu, ferro, sanguine gestum sit. Hoc ego

Psal. 85, 12.

præposteros rerum iudices ac æstimatores, ipsis etiam Ethnicis deteriores nihil quicquam moror: Regis potentissimi Davidis iudicio fretus, qui non bellum, sed misericordiam & veritatem: non cædem & sanguinem, sed iustitiam & pacem, felicitis Imperij fulcra ac columnas constituit: siquidem

*Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes.*

Munificen-  
tia Electro-  
ris.

Sed ut ad reliqua quæ restant accessum faciam, ipsa temporis præfiniti brevitatis monet. Multa autem necessario prætermittenda, quæ ad amplificandam Principis nostri laudem, momenti haberent plurimum, neque vobis ad audiendum in iucunda forent: sed ultra metas labori huic meo præfixas, haud progrediendum esse statuo. Et quid obsecro plura commemorem, de Meccœnatis nostri liberalitate insigni, de munificentia in Ecclesiam & scholas, de beneficentia in quosvis, egenos præsertim & pauperes. Nostis ipsi, Auditores, quæ ad cultum Religionis faciunt, ipsum largè & munificè suppeditasse: Scholas atq; Academias, non conservandas tantum: sed & augendas, ornandas, cumulandas sibi sumfisse. Certè mox sub primum gubernationis auspiciis, aliquot millia florenorum Academiae no-

stræ



stræ destinavit: erogaturus eadem, nisi remoram,  
 aliquam varia hæctenus obstacula iniecissent. Sic  
 sub ipsius potissimum auspicio & munificentia,  
 secundum Deum, secularis & Jubilæa Academia  
 nostræ festivitas, cepta, acta & peracta est. Imò quis  
 est eorum omnium, qui operam Principi huic no-  
 stro suam probarunt, qui virtutis hujus fructum ali-  
 quem non perceperit? ita ut qui laudis hujus præ-  
 dicationem, immortalis memoria consecrandam, ne-  
 gaverit, vel in dubium vocandam esse, censuerit, ex-  
 tremè ingratus atque impius sit oportet. Cæterum  
 quod maximum ac pulcherrimum censendum est,  
 ad Liberalitatis studium longè maximum, mirus in  
 Principe nostro, gloriæ contemptus accedebat. Qui  
 enim in muneribus distribuendis ad profusionem,  
 usque liberales fuerint, fortè penè multi extiterunt:  
 at qui nullam inde hominum famam gloriamq;  
 captarent, haud ita facilè reperiuntur. Ita enim  
 plerumque comparatum est, ut ubi liberalitas arbi-  
 tris caret, ibi largiendi languescat alacritas. Si sunt,  
 qui munificentiam hanc suo fortassis excessu non  
 caruisse, autument: his ego illud expendendum  
 relinquo, quod interdum præstat, propter il-  
 los, qui meritis suis in Ecclesiam & Rempub. præ-  
 claris, opem & munificentiam principum meretur,

Anno. 1603.

,,

,,

,,

indignis

Eccles. 11, 1.

indignis quoque dona porrigere, & cum rege Alphonso, canibus etiam oblatrantibus offulam aliquam obijcere: quam, dum metuimus, ne in indignos conferamus beneficium, dignis etiam misericordiae ac liberalitatis fontes intercludere. Quod ipsum Rex ille Regum sapientissimus Salomon inuisse mihi videtur: Mitte, inquit, panem tuum etiam super aquas: da partes septem, da & octo, quia post tempora mala invenies illum.

Bernh. in  
Apolog.

Ceterum, ut in Principe nostro persequar, quod super est, nihil ab actionibus publicis privati mores discrepârunt: sed ut virtus plena majestatis & decoris: ita interior vita plena dignitatis fuit & modestiae: ὁμοίως γὰρ διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν ἑδρῇ ἡλικιωσῆναι ἀγαθὸς δ' ἦν, καὶ ἐδὲν προσποίητον εἶχε, quod de M. Antonio Dionio scribere licuit. Illud cum primis laude dignissimum censemus, quòd mores præposteris, ritus peregrinos, vitæ in compositæ atque habitus indecentis contagia vehementer abominabatur: rectissime statuens cum Bernhardo, Vanum cor, vanitatis notitiam ipsi corpori ingerere: exterioremq; vestium nitorem, interioris vanitatis certissimum esse indicium. Neque enim tantum curaretur (inquit Bernhardus) corporis cultus,

nisi

nisi prius neglecta fuisset mens, inculta virtutibus. Maeste virtute, *CHRISTIANE* Elector, cujus talia principia, qualis progressus, qualis finis tandem erit? Sed ô miserabilis humana conditio, & sine *CHRISTO* vanum omne, quod sumus & vivimus. Quid te subtrahis? quid tergiversaris oratio? Quasi mortem illius differre, & vitam longiorem facere queas, sic exhorrescis ad ultimam orationis metam properare. Omnis caro foenum, & omnis gloria

Ier. 40, 6.

ejus, quasi flos campi. Mortuus est: heu! mortuus est inquam *CHRISTIANUS*: heu miseriam nostam! mortuus est inquam denuo, *CHRISTIANUS* princeps & Elector noster: ô infandû dolorem! occidit paucis horis: sed occidit fato beatissimo. Repentina quidem & satis vehemens ipsis vesperis Johanneis, Symptomatum Apoplecticorum ipsum invaserat sævitia: sed tanta non erat, quin aliquoties collectis viribus, ad se rediret, respiraret, & oblitus res humanas, ac quicquid hic mundus habet, interruptis ac morientibus vocibus, subinde *JESU CHRISTI* Salvatoris sui opem & auxilium imploraret, iterum atque iterum ingeminans: ô Deus propitius esto mihi peccatori: Et, ô *DOMINE JESU* suspice spiritum meum: in manus tuas commendo animam meam: redemisti me Deus veritatis. At interim obstupescebant magis magisque; sensus,

E

hebe-

nisi

hebescebat totū corpus, debilitabatur vox, ægritū  
 anhelabat, intercludebatur tandem Spiritus, cū  
 beatissima ipsius anima, corporis soluta ergastulo,  
 emergens è tenebris, nactus liberum coelum atque  
 lucem, ad æterna beatorū gaudia triumphans evo-  
 lavit. De qua ineffabili felicitate, Beatissime Prin-  
 cept, nos tibi piè congratulamur. Novimus enim,  
 imò certè scimus, nihil tibi adversi, nihil exitiosi  
 accidisse: sed ut cum Bernhardo rursus loquar, tran-  
 sisse te de labore ad refrigerium, de expectatione  
 ad precium, de agone ad brabéum, de morte ad vi-  
 tam, de fide ad noticiam, de peregrinatione ad quie-  
 tem, de mundi huius exilio, ad coelestem ac æter-  
 nū permanentem patriam.

Overò nobis, nobis inquam tristem & luctuo-  
 sum obitum! & ò nos perditos, si non sentimus,  
 quantorum malorum obitus iste sit prodromus?  
 miseres multò, si sentimus, nec ocyus resipi-  
 scimus? miserrimos verò omnium, si non modò  
 prævisis calamitatibus, vitam in melius non com-  
 mutamus: verū etiam eò desperatæ cæcitatibus & ma-  
 litæ progredimur, ut aliter nos nō posse vivere, opi-  
 nemur? Luctum proinde & mœrorē eum desidero  
 Auditores, qui nobis scelerum & flagitiorū admissio-  
 rum seriam detestationē afferat. Neque n. vel eorū  
 probanda prophanitas, qui cōmuni mortaliū lege,

Hero-

Heroas é genere humano tolli, cum Anaxagora  
 statuunt: vel eorum ferenda superstitione, qui partim  
 astrorum influentijs, partim climacteri hebdomadi-  
 co quarto (siquidem annū ætatis vicesimum octa-  
 vum nondum compleverat) optimi Principis fatū,  
 fatis temerè adscribunt. Utramque certè judicandi  
 libertatem ipse Spiritus sanctus manifestè fatis argu-  
 it, præstantium Heroum fatis ómen, aliquod ines-  
 se, neque aliundè magis, quàm populi ipsius pecca-  
 tis accelerari pronuncians. Audite quæso sapientis-  
 simi Regis effatum: Propter peccata populi mei,  
 multi fiunt Principes ejus: & propter populos intel-  
 ligentes & scientes prolongantur. Sed & expendite  
 verba Sapientis. Si enim Principibus, subditorum  
 peccata mortem accelerant: si rursus eorundem  
 pietas, vitā iisdem prolongat: quid planius esse po-  
 test, quàm neque fortuitò, neque cõmuni hominū  
 sorte, neque astrorū positu fatali, neque certâ anno-  
 rum periodo aut climactere: sed justissimo Dei sce-  
 lerum vindicis judicio, è vivis evocari Principes: eo-  
 rundemq; discessu, impendentium calamitatū sortē  
 plærumque designari. Nam tametsi debitum natu-  
 ræ ipsi quoque in morte solvunt: quotamen Princi-  
 pes, ex ipsius Dei ordinatione, hac in vita alijs ho-  
 minibus præstant: eò majorem sibi, in ipsorum et-  
 iam morte, divina providētia vendicat materiā, suæ

Prov. 28, 2.

in subditos contumaces exercendæ justiciæ, eosq;  
in ordinem efficacius redigendi.

*Thren. 3, 39.*

Murmuret ergo quisque, non adversus Deum,  
non contra astrorum positum aut influentias, non  
contra aunorum gradus ac climacteres: sed ut pro-  
pheta loquitur, murmuret quisque adversus pecca-  
ta sua: scrutemur vias nostras, & revertamur ad  
DOMINUM: levemus corda nostra cum manibus ad  
DOMINUM in cœlos: Nos iniquè egimus, dicentes, &  
ad iracundiã te provocavimus: miserere nostri, mi-  
serere, quia multa & magna est iniquitas nostra.

*Ies. 35, 3.*

*1 Sam. 2, 6.*

*Luc. 12, 32.*

*Psal. 35, 3.*

*Thren. 5, 8.*

Tu verò Sion Germaniæ, quid tibi nunc animi?  
Num anima tua consolationem planè omnem re-  
nuit? Num nihil superest, quod tuo medeatur vul-  
neri? Imò verò revertere Sion & resume vires: Quis  
est ille, qui luxatas roborat manus, qui genua erigit  
dissoluta? qui ad inferos ducit, & reducit? Ille est;  
qui te gemente & flente dixit: Noli timere pusille  
grex: En adsum: salus tua sum ego. Quod si parum  
videtur, ut hisce verbis te erigam, & consoler: ecce  
viva solatia sunt in promptu. Enimvero cùm iratus  
Deus Patrem Patriæ è medio nostri sustulerit, ut es-  
semus sicut pupilli, sine patre: Quid nisi indicium,  
imò pignus certissimum paterni adhuc in Deo fa-  
voris est, quòd ita clementer nobis prospectum vo-

luit,

luit, ut Serenissimum Principem ac Dominum, D. JOHANNEM GEORGIUM, Ducem Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, &c. Electoratus haeredem legitimum, Principem ad summa quævis natum & assuefactum, nobis largiretur: de quo non imaginatione conceptam, non opinione haustam, non presumptione persuasam: sed rebus ipsis excitatam atque experienciâ confirmatam spem habemus, ipsum uti Electoralis Imperij: sic virtutum etiam majorum suorum haeredem atque æmulum fore. Quid ergo exultatis ô truces & efferati Jesuvvitæ, quid tripudiatis vos reliqui hæresæon & hæreticorum antistites, qui Principis nostri obitum, pacis dissolvendæ terminum, & religionis *γνησίως* Lutheranae excidium fore, gloriari non estis veriti? Annè vos omni expeditos metu, nos verò omni destitutos præsidio arbitramini? Vivit, vivit inquam, & ut vivat diutissimè, faxit is, qui ipsissima vita est, vivit inquam denuo JOHANNES GEORGIUS Elector heros fortissimus, Qui potentia virtute, consilio animi magnitudine armatus, haud impunè vos, Sionem hanc nostram infestare, patietur. Sic ergò habeto Serenissime Elector JOHANNES GEORGI, quòd Ecclesia hæctenus benè habuit, quòd Religio orthodoxa floruit, quòd Respub. feli-

citer, laubabiliter, pacificè administrata, quòd studia pietatis, linguarum, literarum egregiè inter nos exculta, quòd sub varijs atrocissimorum tumultuum, seditionum, bellorum fluctibus non absorpti, æstu non abrepti sumus: sed otio literario, pace publica, tranquillitate domestica frui nobis licuit: Nos secundum Deum, Serenitatis tuæ fratri, piè beateq; defuncto, auctori & principi bonorum istorum, unicè acceptum referre. Jam quæ in Tua Celsitudine spes nobis sit reposita, quæ felicitas, quæ gloria, nos sanè submissa animi humilitate facilè agnoscimus: & quin Tua Celsitudo, pro singulari iudicij acumine, id ipsum jam pridem perspexerit, nihil dubitamus. Quemadmodum ergo omnes Orbis Christiani Principes, accepto, de Electorali tuo Imperio, nuncio, admirabili quadam lætitiâ sunt perfusi: Ita nos præcipuè sublatis in coelum manibus, omnium rerû moderatori Optimo Maximo DEO, pro paterno hoc in nos affectu, piâ animi veneratione gratias agimus: tuæq; Celsitudini, ac toti adeò Romano Imperio de hac felicitate ex animo gratulamur: cum primis autē Serenitati tuæ (liceat cū Tertulliano loqui) omnes felicitates, omnes salutés & securitates, Ecclesiam pacatâ, Religionem incorruptam, vitam prolixam, domum tutam,

Tertull.  
Apolog.  
cap. 30.

exerci-



exercitus fortes, senatum fidelem, orbem quietum,  
& quæcunque hominum sunt & Cæsarum vota  
& optata, ex intimis animorum penetralibus  
comprecamur.

Age ergo Serenissime Princeps, qui cum *CHRISTO*  
geris imperium, cum *CHRISTO* Ecclesiam &  
Rempub. administras: à *CHRISTO* gladium conse-  
cutus es, age inquam, confortare in eodem, & opus  
*DOMINI* constanter ac fortiter urge: in id verò cum-  
primis invigila, ne Ecclesia *CHRISTI*, & purior Reli-  
gio detrimenti aliquid aut jaçturæ patiatur. Hæc  
salvâ, salvus eris & Tu: salva erunt cætera quoque  
omnia: hac corruptâ vel everfa: Quid Te tuumq;  
regnum salvare poterit? Memento Te Ecclesiæ  
patronum & nutricium, patriæ patrem, cõmunem  
omnium tutorem ac protectorem à Deo ipso esse  
constitutum: nostram omnium salutem ab eodem,  
Dominorum *DOMINO*, tibi commissam esse ac con-  
creditam, Nos (quod unum in viribus nostris est  
positum) Te Electorem, Principem, ac Domi-  
num nostrum, humilimo officiorum, obsequio  
agnoscemus & venerabimur: Tibi nos no-  
straq; omnia in fidem, & clientelam trademus:  
Tibi denique, ut est in veteri formula, *DEBITAM*  
*OBEIENTIAM, QUA PIUM QUA ÆQUUM,*  
*PRESTABIMUS:* nosq; semper, non ad for-  
tunas

tunas modò nostras, verùm ad sanguinem, quoque & vitam, si ita necessitas ferat, pro dignitate & salute tua profundendam, paratissimos fore, omni asseveratione confirmamus.

Quæ ut ex animi voto atque sententia prospere eveniant universa, Tibi æterne *PATER* humiliter supplicamus: Tibi *JESU CHRISTE* vota facimus: Tibi *SPIRITUS SANCTE* preces fundimus: Exaudinos Deus: Exaudinos Deus salutem: & quia tuo verbo existit, tuo nutu regitur, tuo spiritu conservatur omnis potestas & imperium, respice quæsumus in faciem uncti tui: respice ingredientem: respice egredientem: respice periclitantem, & è domicilio sanctuarij tui ipsum corrobora: rege omnia consilia ipsius: prospero auspicio provehe, quæ secundum verbum tuum instituit: successus secundos largire omnibus quæ molitur: exitu felici conclude, quæ tractat universa: o *DOMINE* salvum fac regem, unà cum conjugè illustrissima: & exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Sed & viduam utramque Electoralem moestissimam solare, erige, confirma: Celsissimum item Principem ac Dominum, *D. AUGUSTUM*, Ducem Saxonie, &c. cum Sororibus Illustrissimis, ac universa florentissimâ domo Saxonicâ, ab omni detrimento &

incom-

incommodo clementer tuere: largire quæ faciunt  
ad pacem Jerusalem, ut sit prosperitas intra muros  
nostros, & abundantia in palatiis nostris: Exau-  
di nos DEUS: exaudi nos: sic multiplicabis in a-  
nima nostra virtutem: & nos confitebimur nomini  
tuo: & narrabimus omnia mirabilia tua: lætabimur,  
& exultamus in te, ex hoc nunc, & in infinitas secu-  
lorum omnium æternitates. AMEN.

## RECTOR ET CONSI- LIUM ACADEMIÆ VVIT- TEBERGENSIS PUBLICUM.



ERENISSIMUM & Optimum Principem, CHRIS-  
TIANUM II. Ducem & Electorem Saxonix, mor-  
tem obiisse, hoc est, Unam è septenis illis Imperij Ro-  
mani Columnis everfam esse: Coronam capitis nostri  
cecidisse: Patrem patriæ, Nutritium Ecclesiæ, & Aca-  
demiæ nostræ Conservatorem, ereptum esse, Cives Academici, &  
qui quocunque modo & affectu nostri estis; jam sæpius, præ dolor,  
queri nos & lamentari publicè privatimque audivistis. Et quis ita  
obduruerit, aut obbrutuerit, itaque hominem ex homine tulerit, ut  
in tali & tanto funere affectum suum publico dolori & miseriæ  
non attemperaret? Audite ipsam à prisco & religioso ævo SAPI-  
ENTIAM. Quid ergo illa? *FILI, effunde lacrimas super MORTUO*  
*LUCTUMQUE ut acerba passus, exordire; juxtaque morem funebrem*  
*corpus ejus contege. ACERBAM ede LAMENTATIONEM, plan-*  
*ctumque ACCENDE; & luctu, quo DIGNUS est, eum prosequere.* Nos  
profectò ACERBA passi sumus; & causam habemus non unam,  
F

cur lamentationem planctumque accendamus, & luctu, quo dignus est NOSTER olim, defunctum prosequamur. Non quemvis unum amissimus, sed PRINCIPEM; εἰκόνα θεῶν ἐμψυχον, quomodo Philosophus appellat: *Quem deus dat, qui erga hominum genus vice sua fungatur*, ut sapiens Romanus autumat: *Quem columus ut hominem à DEO secundum, & solo Deo minorem, ut è nostris Tertullianus æstimat.* SED ut non sine Causa lugemus: ita nec sine Exemplo. PERSÆ, è quâ gente majores nostros in hanc Germaniam prodijisse litterarum monumentis traditur, Reges suos non vivos modò summa ac pænè incredibili observantia colebant; sed & vitâ functos luctu publico prosequabantur. Nam statim post excessum eorum, justitium per quinque dies indicebatur: quo temporis intervallo jura omnia ac Leges filebant, tanquam Regis patrocínio orbæ, quo incolumi salvæ fuissent. Immò facer etiam (opinione illorum) æternusque ignis, quem quisque in arcanis domi suæ pro Lare familiari colebat, Rege extincto, exstinguebatur. ÆGYPTII, post mortem Regis sui, publico luctu itidem omnia complere, lacerare vestes, templa claudere, festa solemnia per dies aliquot septuaginta non celebrare, capitibus pulvere inquinatis & sindone subtus mammæ succincti, viri pariter & feminae quasi ducenti aut trecenti circumire, bis quotidie luctum instaurantes, atque ad numerum laudes defuncti Regis concinnè modulantes. SED quid externa & aliena arcessimus? Domi & in nostris affatim habemus, quod foris quærimus. JOSIAS Rex Judæorum ab universa Israelitarum gente deploratus est, NENIAQUE peculiari à Prophetâ Hieremia solemniter honoratus. MACHABÆUM sui fleverunt planctu magno & dies multos, dicentes: *Quomodo cecidit POTENS, qui salvum faciebat Israel?* Proprius etiam accedamus: & vel unum ex historiâ Christianâ & propriè nostrâ, & verbis Historici, attingamus. CONSTANTINI morte compertâ, milites, qui custodiæ corporis assistebant, abscissis vestibus, humi corpora projecerunt atque illis muro capitibus, nullis questibus pepercerunt, quos in tali casu ingens suggerere dolor posset: quos Præfecti & Centuriones atque omnes ordine milites sunt secuti, flebilibus vocibus identidem *Conservatorem, Custodem ac Parentem* se amisisse testantes, quin etiam cives per Urbem vagi ac furentibus similes altissimis ejulatibus mœorem

rem suam, cuius magnitudinem capere non poterant, ediderunt: reliqui demisso vultu incessere tanquam attoniti, singuli præcipua calamitate affectos querentes ac semet tanquam tum demum omnibus humanæ vitæ muneribus spoliatos deplorantes. QUI Æquidem exempla, Cives Academici; vobis, & ijs inprimis, qui sunt in junioribus & vitio ætatis talium lecuri, quasi speculum publici affectûs in Principes defunctos, ob oculos ponere de industriâ volumus. ut si minus à vobis, saltem in exemplo aliorum videretis, quid sit privari Bono Principe, & quali quantoque amore pariter & honore mortuus etiam prosequendus. Nos certè, qui in Repub. sumus litterariâ, verè & ex animi sententiâ dicere possumus, Nostrum PRINCIPEM, quem nunc ademptum lugemus, Ecclesiæ & Academiæ nostræ CONSERVATOREM, CUSTODEM, ac PARENTEM fuisse. Profectò fuit & *Parens & Custos & Conservator* nostri Ordinis: atque hoc elogium à nobis & Bonis omnibus, gemente Invidiâ, ad omnem posteritatem in templo Memoriae consecratum habebit. CÆTERA, quæ dici solent & debent, ut olim apud Ægyptios non nisi *reges* & flamines suam Regem in funere laudabant, apud Nos in laudatione funebri luculentius & uberiore copia prosequeretur itidem Theologus, nempe Reverendus & Clariss. Collega noster LEONHARTUS HITTERUS, D. & Profess. Pr. Nunc suffecerit, Academiæ cives quasi in transcurso excitasse, & quæ ad *εὐταξίαν* aliquam, ordinem, modum, honestatem & decus facere videbuntur, brevi scripro INTIMASSE. SCITO TE igitur: quanquam à vobis haud dubiè jam scitis: tamen à nobis etiam scitote; diem perendinum, qui sextus Augusti, Nobis & cõmuni Patriæ feralem funestumque esse, quippe quo Pater patriæ humeris quasi totius Patriæ efferetur, atque ad cineres majorum suorum *Freibergæ* in conditorio inter manus lugentium seponetur. Quoniam verò nos corpore præsentibus ibi esse omnes haud quimus, dabimus operam, ut pietatum nostram DEO & PRINCIPI olim nostro absentes etiam probemus: & quia verum funus non possumus, saltem Imaginarium eodem die hic ducamus: ad hanc quidem faciem, DICTO die (si Deus ita voluerit) ad horam sextam matutinam cunctus Academiæ nostræ Senatus in area Collegii majoris

107/57/111

joris conveniet : ibique & vos, exemplum nostrum secuti, quot-  
quot estis frequentes & sine mora comparebitis. Inde in faciem  
& habitum exsequias euntium compositi, oppidanæ Scholæ pue-  
ris & Ecclesiæ ministris, cum funeralibus (ut solet fieri) canticis  
præeuntibus, in Arcis & Academiae templum ordine profecti per  
civitatem ibimus. Atque ubi in forum medium & è regione Cu-  
riæ perventum erit, honaratus SENATORUM Ordo  
Patribus Academiae sese junget. Nec opus esse ducimus vos de  
modestia & opportunitatis scientia monere : ut scilicet locum  
& viam ex transverso accedentibus commodè præbeatis. Con-  
fidimus, ultrò vos ita facturos. Postquam jam eò ventum erit,  
LAUDATIO FUNEBRIS, ut paulò antè diximus, so-  
lemniter instituetur. Qua data & absoluta, eadem pompâ & se-  
rie ad basilicam & templum illud oppidi majus procedetur. Ibi  
itidem Concione ad populum habita, & cæteris pro more &  
ritu Ecclesiæ nostræ peractis, quisque ad se redire, casum patriæ  
miserari, & optima quæque precari poterit, & debebit,

P, P. IV. Augusti, ANNO CHRISTI  
c10, 10c. XI.

F I N I S.



r-  
m  
e-  
cis  
er  
u-  
to  
de  
L  
n-  
t.  
o-  
e-  
bi  
&  
ia

ULB Halle

3

004 801 30X




*WMA*







h. 29, 5.



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

SSIMI-  
MINI  
NI II  
ULIÆ,  
ROM. IM-  
Landgravij  
vij Magde-  
avens-  
cc.  
i. Dresda  
rcis,  
ctus summo  
tur,  
ER O, SS  
ore Pr. ac  
ano 1611,

Vc  
3157

